

in delicto homicidii. Sed respondeo dupliciter: Primò modo, quòd illa glossa procedat & sit vera, quando talis homicida vult succedere ab intestato hæredibus occisi: quia non potest, quia expressè propter delictum est sibi denegata illa successio. Sed illa solutio non est tuta, quia etiam illa glossa & ejus conclusio procedit ex testamento, sicut ab intestato. Secundò respondeo, quòd licet omnia bona sint unita & incorporata in persona hæredis, & dicantur unum patrimonium ejus, & non occisi; tamen in pœnam delicti, & ob tacitam prohibitionem defuncti efficitur perpetuò indignus ab ejus successione & bonis, & repellitur ab ejus successione: Sed in nostra materia non repellitur filius propter delictum, sed propter juramentum, vel aliam causam; & idè succedit. Nec obstat si replices de textu in leg. *Qui Titii testamentum. ff. de His quæ ut indig.* ubi quis repellitur à successione alterius propter delictum, quia acusavit testamentum ejus de falso, & non obtinuit: & tamen repellitur à successione ipsius testatoris tantum; non verò à successione hæredum suorum, quia eis potest succedere ex testamento & ab intestato, etiam in bonis habitis à defuncto testatore. Quia subtiliter respondeo, quòd illud delictum, & causa ejus erat limitata respectu testamenti tantum impugnati; unde tantum afficit rem, ut non succedat ex illo testamento impugnato: secus verò si delictum sit commissum in personam alicujus; quia ejus offensa & injuria perpetuò durat; unde tanquam indignus repellitur perpetuò à successione bonorum suorum. Sed contra hoc replico subtiliter de text. in *dict. leg. fin. ff. de Legat. 3. & de leg. pen. §. Si hæres. ff. de Inoffic. testam. & de leg. fin. §. fin. eod. tit.* ubi, si pater exhæredat filium propter offensam, tantum repellitur à sua successione; non verò à successione hæredis, etiam in bonis patris. Sed respondeo, quòd illud est verum, quia ipse pater vivebat tempore exhæredationis, & potuit apertius mentem & intentionem prohibitionis declarare; unde, cum non fecerit, tantum videtur filius exclusus à successione sua: Secus verò quando quis est occisus; quia tali causa censetur ab eo & à jure tacita prohibitio: & idem esset si pater esset occisus ab ipso filio.

15 Advertendum etiam, quòd materia nostra, & superior conclusio, quæ habet, quòd pactum de non succedendo non valet, debet intelligi, quando quis renuntiat hæreditati futuræ alicujus viventis: secus tamen est si renuntiat futuræ successioni alicujus defuncti, licet debeat sibi per viam fideicommissi & restitutionis post mortem alterius: textus est nota-

bilis in leg. 1. *Cod. de Pactis.* ubi filius gravatus de restituenda sua parte hæreditatis alteri fratri, si liberos non susceperit, fecit pactum cum fratre fideicommissario, ut restituta de præsentis certa parte hæreditatis, remitteret sibi alter frater jus & spem fideicommissi conditionalis: & dicit textus, quòd alter remisit, & valet illud pactum. Cujus ratio potest esse, quia per fideicommissariam substitutionem succeditur testatori defuncto, & non hæredi gravato, ut in leg. *Cohæredi. §. Cum filie de Vulg. & pup.* Et ad hoc illum textum in *dict. leg. 1. Cod. de Pactis.* notat & commendat ibi Glossa ordinaria, Petrus de Bellapert. 2. column. in fin. 2. opin. Jacob. Butr. 2. column. in princ. Cin. 2. column. 4. oppos. Bartol. 2. column. num. 5. Bald. 3. column. 7. oppos. Salic. 4. column. num. 21. Jas. fin. column. num. 22. illum etiam textum ad hoc notat & commendat Angel. in leg. *Stipulatio hoc modo concepta, de Verbor. obligat. 1. col. vers. Septimò fallit.* & ibi Imol. 2. column. post princ. Rom. 7. column. num. 25. text. in leg. *Cum proponas. la. eod. text. in leg. De fideicommissis. Cod. de Transact. textus in leg. Qui Romæ. §. Duo fratres. de Verbor. obligat.*

Quod notabiliter extende, ut etiamsi renuntians sit deceptus etiam ultra dimidiam, quia postea steterit conditio fideicommissi, non possit agi remedio legis 2. *Cod. de Rescind. vend.* ita Salic. in *dict. leg. 1. Cod. de Pactis, in princ.* Alexand. 2. column. & confirmatur per text. in leg. *Lucius. §. fin. ff. Ad Trebell. & in leg. Spem. Cod. de Donation.* Secundò notabiliter extende, ut procedat etiam in minore renuntiante: quia adhuc non poterit restitui: text. est singularis & unicus in jure in leg. *De fideicommissis. Cod. de Transact.* quam ad hoc notant & commendant ibi Bartol. Bald. Paul. Salic. Aretin. Alexand. Jason, & communiter DD. & illum textum ad hoc dicit unicum Bald. in leg. *Cum Archimedoram. Cod. Ut in possess. legator. 1. col. num. 3.* Et, quod magis est, tali casu valet remissio & renuntiatio rerum immobilium sine decreto: ita per illum textum tenet & declarat Jason. in leg. 2. *ff. de Offic. ejus, cui est mand. jurisdict. num. 6.* & licet ille textus loquatur in reciproca remissione, vel pacto; tamen etiam habet locum in simplici renuntiatione unius minoris: ita tenet & declarat Salic. in *dict. leg. 1. Cod. de Pactis. 1. column. num. 3.* Alexand. ibi, 2. column. num. 3.

16 Ex quibus probabiliter & necessariò quæro, an substitutus pupillaris possit, vivente pupillo, pacto & conventionem renuntiare juri substitutionis pupillaris? Et videtur quòd non: Primò, quia esset renuntiatio successione vi-

ven-

ventis; cum per substitutionem pupillarem succedatur directè pupillo, & non testatori, ut in leg. 2. §. *Ad substitutum, de Vulg. & pupill. cum simil.* Confirmatur per textum in leg. *Ita tamen, §. A patre, ff. Ad Trebell.* ubi, si filius impubes sit exhæredatus, & extraneus hæres institutus, & pupillariter substitutus dicto filio impuberi exhæredato, & gravatus sit restituere alicui tertio bona quæ sibi debent provenire ex pupillari substitutione; non potest cogi adire hæreditatem vivente pupillo, pro conservando fideicommissio: & ponit textus rationem, scilicet. *Quia non probè de hæreditate pueri viventis agitur, textus in leg. 2. §. Interdum, ff. de Vulgar. & pupill.* Et in expressò istam sententiam & conclusionem tenet Bald. in leg. 1. *Cod. de Pactis, 3. column. num. 7.* Salyc. 4. column. num. 13. Alexand. penultim. column. numer. 6. & ante eos reperio quòd ita tenet Bartol. in leg. *Qui Romæ, §. Duo fratres, ff. de Verbor. oblig. 8. column. 7. quest. princip. & ibi Angel. in repetitione illius §. quæ posita est in fine tituli, penultim. column. numer. 11. Imol. final. column. penultim. quest. Paul. 3. column. numer. 6. versic. Et prædicta, Alexand. 31. column. num. 57. Jason. 29. column. num. 111. in 7. quest. princ.*

Quod intellige, nisi hodiè interveniat juramentum in tali pacto, vel renuntiatione; quia tunc valeret: argumento textus in *dict. capit. Quamvis pactum, & ibi tenet Paul. & Moderni in dict. §. Duo fratres.* Contrarium tamen expressè tenet Bald. in cap. *Cum contingat, de Jurejur. 6. column. versic. Ex his apparet,* imò quòd talis renuntiatio non valet etiam cum juramento, quia videtur pactum de Successione non habenda, vel certo modo dividenda, quod non potest valere nisi consentiat ille de cujus successione tractatur; & pupillus consentire non potest. Sed his non obstantibus, ego teneo contrarium; imò, quòd substitutus possit renuntiare substitutioni pupillari sine juramento. Primò, quia talis substitutio est jus conditionale de futuro, proveniens ex dispositione patris jam defuncti; unde ei potest renuntiare: argumento textus cum materia in *dict. leg. 1. Cod. de Pactis.* Secundò & quidem subtiliter, quia hoc casu non renuntiat quis successioni debitæ ab intestato jure sanguinis, sed potiùs desistit à successione debitæ ex dispositione hominis, & sic testatoris defuncti, & applicat eam venientibus ab intestato ipsius pupilli; & sic potiùs est pactum de conservanda successione, quam de perdenda; & sic videtur valere: argumento textus in leg. *Si ab eo, Codic. de Legitim. hæred. & in §. final. Instit. de Legit. agnat. success.* Tertio confirmatur quia substitutio pupillaris est quædam captatoria voluntatis diponendi de hæreditate filii im-

puberis, quæ specialiter est permissa in solo patre: unde renuntiatio ejus meritò debet valere, quia reducit successio ad propriam ordinariam viam succedendi. Quarto facit textus in leg. 2. *ff. de Statu lib.* ubi probatur, quòd jus substitutionis pupillaris dicitur quædam spes, habens causam de præterito vel præsentis, ratione testamenti & dispositionis patris defuncti. Quintò facit textus singularis in proposito in leg. 2. §. *Illud, de Hæred. vel action. vend.* ubi habetur, quòd si hæres, qui etiam est substitutus filio impuberi, vendat simpliciter hæreditatem, non censetur vendere hæreditatem pupillarem, quam sperat virtute substitutionis, nisi expressè dicat quòd vendit utramque hæreditatem; quia tunc talis venditio valet, maximè si jam erat mortuus pupillus: ergo apertè vult textus, quòd etiamsi pupillus vivat, valet contractus, & venditio, & per consequens pactum vel renuntiatio substitutionis pupillaris: & certè ille videtur textus expressus pro una sententia contra communem. Nec obstat quòd Glossa ordinaria ibi in verbo *maximè*, in prima expositione. & ibi Alber. & Salicet. dicat, quòd illa dictio *maximè abundat*: secundum quòd ille textus esset pro communi opinione. Quia illa est evidens divinatio; & non tenenda, & contrarium vult illa Glossa in 2. expositione, & contrarium vult apertè Bartol. in leg. *Stipulatio hoc modo concepta, de Verbor. obligat. final. column. in fine.*

17 Aliud est pactum de succedendo, quo quis vult acquirere aliquam futuram successione; ut si quis promittat alium post mortem instituere, vel ei relinquere bona sua: nam talis promissio non valet ipso jure, adèd, quòd non oritur aliqua obligatio civilis, vel naturalis: textus est expressus & capitalis in leg. *Stipulatio hoc modo concepta, ff. de Verbor. obligat.* cujus verba sunt: *Stipulatio hoc modo concepta: Si hæredem me non feceris, tantum dare spondes? inutilis est: quia contra bonos mores est hæc Stipulatio, & ibi communis opinio DD. textus in leg. Tres fratres, §. Idem respondit, el 1. ff. Pro socio, textus in leg. Ex ea, Cod. de Inutil. stipulat. textus in leg. Hereditas, Cod. de Pactis conventis, textus in leg. Cum donationis, in fin. Cod. de Transact. textus in leg. Pactum quòd dotali, Cod. de Pact. Cujus prima ratio est, quia tale pactum vel promissio est contra bonos mores: textus est in *dict. leg. Stipulatio hoc modo concepta.* Secunda ratio est, quia tale pactum vel promissio inducit votum captandæ mortis; unde non valet, quia daretur materia delinquendi: argumento textus in leg. *Si unus, §. Illud, cum §. sequenti, ff. de Pactis, textus in leg. Convenire, ff. de Pactis dotilib.* Confirmatur*

is-

Ista ratio per textum in capit. Ne captanda, de Conces. præb. lib. 6. Tertia ratio est vera & magis concludens, scilicet quod ideo tale pactum & promissio non valet, quia auferit liberam facultatem testandi, quæ cuilibet est concessa usque in extremum vitæ suæ à jure naturali, vel gentium, ut in leg. 1. Cod. de Sacrosanct. Eccles. & ibi DD. & tradit plenè Bart. & DD. in leg. Interdum, 2. col. ff. de Condit. indebit. & Modern. in Rubric. extra, de Testam. unde talis facultas naturalis non potest pacto vel contractu sibi auferri, argumento text. cum materia in §. Sed naturali quidem jure, Instit. de Jure natur. gent. & civil. Et in effectu istam rationem voluit Bart. in dict. leg. Stipulatio hoc modo concepta, 1. col. num. 3. & ibi communiter DD. & istam rationem probat text. mellius quàm alibi in leg. Pactum quod dotali, Codic. de Pactis, in fin. ibi: Nec libertatem testamenti faciendi patri potuit auferre, & ibi Salyc. 2. column. & communiter DD. ponit etiam Alber. Bart. & communiter DD. in leg. Stipulatio hoc modo concepta.

Ex quo infertur, quod tale pactum & promissio de succedendo non firmatur juramento, cum sit contra bonos mores, attenta qualibet ratione superiore, & probat textus in cap. Non est obligatorium, de Regul. jur. lib. 6. cujus verba sunt: Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum, text. in cap. 1. & per tot. caus. 22. quest. 4. text. in cap. Si diligenti, in fin. de Foro compet. text. in leg. Si quis inquilinus, §. final. de legat. 1. Et in expresso istam sententiam & conclusionem tenet Bart. in dict. leg. Stipulatio hoc modo concepta, de Verbor. obligat. 1. column. num. 3. (c)

Secundò infertur, quod non valet pactum etiam reciprocum inter duos vel plures, conventio, nec promissio, quod si quis eorum prius decedat, alter supervivens succedat: argumento prædictorum jurium cum ratione. Nec obstat text. singularis & unicus in suo casu in leg. de Fideicommissio, Codic. de Transact. ubi habetur, quod renunciatio hæreditatis & futuræ successionis valet etiam inter minores, quia est reciproca. Quia procedit & debet intelligi in remissione & renuntiatione futuræ successionis testatoris jam defuncti, quam quis sperabat virtute fideicommissi conditionalis: Nos verò loquimur in pacto vel promissione simplici vel reciproca propriæ hæreditatis viventis, quæ non valet, nec obligat paciscentes: Imò, quod magis est, si unus eorum libenter & sponte instituat alte-

rum, & alter non, vel ambo ad invicem se instituant, vitiat talis institutio, quia non censetur libera, sed præsumitur coacta virtute & spe pacti præcedentis: Ita singulariter determinat Bald. in leg. Illæ autem institutiones, ff. de Hæred. instit. & ibi expressus & notabiliter Joann. de Imol. 2. column. in med.

18 Quod est verum & procedit inter privatos: secus verò inter milites; quia bene valeret illud pactum, & conventio, per quam invicem se instituant: textus est singularis & unicus in jure in leg. Licet inter privatos, Codic. de Pactis, quem ad hoc notant & commendant ibi Petr. Cyn. Jacob. Butr. Alber. Faber. & dicit singularem & unicum Bart. Bald. Angel. Paul. Alexand. & Jas. & dicit unicum Bald. in leg. Ex eo, Cod. de Inutil. stipul. & dicit unicum Imol. in leg. Illæ autem institutiones, 2. column. ff. de Hæred. instit. & dicit unicum Angel. in leg. Stipulatio hoc modo concepta, de Verbor. obligation. 1. column. num. 3. & ibi Joan. de Imol. 2. column. num. 3. & pro illo text. & decisione est hodie lex 33. tit. 11. 5. part.

Quod tamen debet intelligi, quando tales milites essent in expeditione belli: ita probat text. in dict. leg. Licet, ibi: Ad discrimen prælii pergentes, & ibi tenet Glossa ordinaria, Angel. Salycet. & alii DD. & probat apertè prædicta lex Partit. Item debet intelligi, quod istud pactum & conventio, & reciproca institutio inter milites valeat, si perseverent in eadem voluntate usque ad mortem: secus autem si ambo, vel aliquis eorum vellet illud pactum vel conventionem, vel institutionem revocare; quia licet poterit, quia illud pactum non obligat eos efficaciter & irrevocabiliter, quia aliàs esset contra bonos mores, & potius in præjudicium militum quàm in eorum favorem: ita expressè tenet & declarat Petr. de Bellapert. in dict. leg. Licet inter privatos, in princ. & ibi Angel. Paul. & Alexand. Imol. in dict. leg. Illæ autem institutiones, 2. col. ubi notabiliter loquitur: Idem Pet. in leg. fin. Cod. de Pact. 2. col. in princip. & ibi Cyn. 2. col. in princip. & ita disponit & declarat prædicta lex Partit. Et ex his declaratur sententia, & conclusio Bart. & communis in leg. Patris, & filii, 2. col. ultim. quest. de Vulgar. & pupil. ubi tenet, quod duo vel plures possunt testari in una & eadem charta & scriptura cum unica & eadem solemnitate, argumento text. in leg. Si quis ex argentariis, §. Si initium, ff. de Edend. & in leg. Scire debemus, ff. de Verb. oblig. Quia

Quia debet intelligi, quando unusquisque instituit alterum extraneum hæredem, vel quando se invicem instituant, sed nullo præcedente pacto: secus verò, si pacto vel conventionem inter eos præcedente; quia eorum testamentum & reciproca institutio non valebit.

Et ex his notabiliter potest quæri, & jam de hoc fui interrogatus: Si duo invicem promittunt inter se de instituendo aliquem tertium hæredem, certum est quod pactum non valet: Sed si unus eorum primò decedat, & adimpleat promissa, quia illum tertium instituat, & supervivens nolit eum instituere, nec adimplere promissa; an revocetur institutio primi, quasi illa spe ductus fecerit, & quasi sit captatoria voluntas, & quasi deficiente causa finali? Et licet videatur satis dubium, tamen teneo quod non revocetur talis institutio tertii: quia cum illo tertio hærede instituto nullum negotium, pactum, nec conventio inita fuit, nec sibi est quid inputandum; unde meritò ejus institutio non debet revocari: Item etiam quia hoc casu non reperitur contrarium in jure dispositum.

19 Aliud est pactum de futura successione conservanda, quo quis vult sibi conservare futuram successionem alterius. In quo articulo resolutivè dico, quod tale pactum bene valet: Ita probat textus notabilis in leg. Si ab eo, Cod. de Legitim. hæred. textus in leg. fin. Cod. de Emanc. liberor. textus in leg. 4. Cod. de Legitima tutela. textus melior cæteris in §. final. Instit. de Legitim. agnat. succes. quibus probatur, quod si pater emancipabat filium contracta fiducia, hoc est, cum pacto de succedendo, & reservata sibi successione, poterat ei succedere; aliàs non: ergo apertè infertur, quod pactum de conservanda futura successione alterius valet, & tenet: & ita per illa jura, licet omnia non alleget, tenet magistraliter Bartol. in dicta leg. Stipulatio hoc modo concepta, de Verbor. obligat. 2. column. in fin. numer. 7. & ibi communiter Modern. Nec obstat quod illa antiqua decisio sit hodie correctæ, ut in eis patet, quia hodie pater succedit filio emancipato, licet eum non emancipet contracta fiducia; & apertius hodie hoc decisum est de jure novo Authenticorum; eùm sit sublata differentia patriæ potestatis, & emancipationis, ut in Authent. de Hæred. ab intestato venientib. cap. Nullam in ejus bonis & hæreditate cum aliis fratribus, verò. collat. 9. textus in Authent. Defuncto. nec possit eis prælegare, vel meliorationem relinquere; tale pactum non valet, neque tenet, tamquam contra bonos mores, & impedivum libertatis testamenti: & tamen ibi filia intendebat conservare futuram successionem sibi debitam in bonis patris, & tamen pactum non valet: ergo, &c. Sed notabiliter respondeo, quod

volebant quod valet pactum de futura successione conservanda. Confirmatur, quia facilius jura nostra conservamus, quàm acquirimus de novo: text. est in leg. 1. §. Quod autem ait Prætor. ff. de Superficiebus. textus in leg. Papinian. §. Si filius. ff. de Inoffic. testam. textus in leg. Patre furioso. versic. Nam furiosus. ff. de His qui sunt sui vel alieni juris. text. in leg. Si is qui animo. ff. de Acquirend. possess. text. in leg. Jure datus. ff. de Judic. textus in leg. Invitus. versic. 1. ff. de Regul. jur.

Ex qua doctrina & conclusione primò & notabiliter infero, quod si filius vel filia fecisset pactum de non succedendo patri vel matri cum juramento: quod contrario pacto etiam non jurato posset talis filius conservare sibi successionem amissam. Secundò infero, quod si lege vel statuto caveatur, quod contra voluntatem patris filia femina non succedat extantibus masculis, vel quando sit dotata, vel aliàs; quod poterit per pactum sibi conservare jus successionis. Tertio infero, quod si filius vel filia commisit causam ingratitude, per quam poterat à patre vel matre exhæredari, per pactum potest sibi conservare jus successionis, & fieri remissio ingratitude præteritæ. Quartò, & quidem noviter & subtiliter infero, quod licet pater possit substituere pupillariter filii suis impuberibus, & decedente pupillo in pupillari ætate admittatur substitutus in omnibus bonis, exclusâ matre, etiam in Legitima, ut in leg. 2. cum materia, ff. de Vulgar. & pupil. tamen si talis mater uxorque testatoris fecit pactum cum patre maritoque suo tempore contractus matrimonii, vel constante matrimonio ante mortem ejus, quod non possit pater facere prædictam substitutionem pupillarem filii suis, valebit & tenebit tale pactum, quia censetur per illud matrem conservare suam legitimam successionem potius quàm de novo acquirere. Et certè esset in practica satis notanda, & utilis conclusio, & est nova consideratio mea, quam non reperi per aliquem positam.

Advertendum tamen, quod contra superiorem doctrinam, & conclusionem facit textus singularis, qui non consideratur, in l. Pactum quod dotali. Cod. de Pact. ubi disponitur, quod si filia tempore matrimonii fecit pactum cum patre suo, ut post mortem patris succederet æqualiter in ejus bonis & hæreditate cum aliis fratribus, nec possit eis prælegare, vel meliorationem relinquere; tale pactum non valet, neque tenet, tamquam contra bonos mores, & impedivum libertatis testamenti: & tamen ibi filia intendebat conservare futuram successionem sibi debitam in bonis patris, & tamen pactum non valet: ergo, &c. Sed notabiliter respondeo, quod

(c) Et idem tenet Tiraquell. de Jure primogenitur. quest. 6. num. 8. Covarrub. in cap. Quamvis pactum, in initio 1. part. num. 2. Matienz. in leg. 6. tit. 6. lib. 5. Recopilat. glos. 4. num. 1.

quòd meritò illud pactum non valet, quia non est conservativum successionis, quia licet filia debeatur successio in bonis patris, non tamen debetur æqualiter cum aliis fratribus; sed relicta sibi Legitima, potest pater inæqualiter instituere filios in aliis bonis, & prælegatum vel meliorationem relinquere cui velit: Unde pactum, per quod pater promisit non prælegare vel meliorare aliquem ex filiis, sed eos æqualiter instituere, meritò non valet, quia esset contra bonos mores, & contra libertatem testandi. Et ista est vera, & mentalis ratio & intentio illius legis. (d)

Hodie tamen per nostram leg. Taur. 22. apertè deciditur contrarium in 1. part. qua cavetur, quòd si pater, vel mater, vel ascendens per contractum inter vivos promisit non meliorare aliquem ex filiis, & super hoc interveniat scriptura publica, quòd tale pactum & promissio valet & tenet: ergo apertè approbatur quòd hodie inter filios valet pactum, quòd non possit fieri prælegatum vel melioratio, sed teneatur pater, mater, vel ascendens omnes filios æqualiter instituere; & apertè corrigitur text. in dict. leg. *Pactum quod dotali. Cod. de Pactis*, cum communi opinione. Similiter etiam vult nostra lex Taur. in 2. part. quòd si pater, vel mater, vel ascendens promisit aliquem filium, vel filiam, vel descendentem meliorare per viam matrimonii, vel ex alia causa onerosa; quòd tale pactum & promissio valet: & sic apertè vult, quòd inter filios valet pactum de succedendo.

20 Sed contra nostram legem, & utramque ejus partem se offert pulchra & necessaria difficultas; cujus solutionem libenter audirem à conditoribus ejusdem legis. Pactum de succedendo est improbatum à jure, quia est contra bonos mores, & tollit libertatem testandi, ut supra conclusum

(d) Idem tenet Tell. hic, num. 2. Palacios Rub. 15. Castill. in glossa 1. Matienz. in leg. 6. titul. 6. lib. 5. glossa 1. num. 2. Gutierr. in tractat. de Jurament. confirmator. 1. part. cap. 59. numer. 5. Aceved. in dicta leg. 6. Recopilation. num. 19. Et etiam hodie per viam matrimonii non valere pactum de æqualiter succedendo, fratres non meliorando, filia à patre factum, tenet idem Aceved. ubi supra, num. 24. licet diversa ratione: nam cum per legem Madrititiam conditam anno 1534. transcriptam in leg. 1. titul. 2. lib. 5. Recopilation. pater per viam matrimonii non possit filia meliorationem facere, ut dicitur latius infra ad num. 22. si fieret filia; per consequens pactum de non meliorando filia facere non poterit matrimonii intuitu, quia negari non potest quin fiat melioratio per hoc pactum filia, dum pater sibi potestatem adimit meliorandi filios alios. Id enim quod poterat in vim meliorationis alicui ex filiis ex legis permissione legare & donare, quis dubitat quod vertitur in commodum dictæ filia virtute dictæ promissionis? Igitur est contra dict. leg. Madrititiam, ut latius prosequitur Aceved. ubi supra. Gutierr. in tract. de Jurament. confirm. 1. part. cap. 59. numer. 14. licet Matienz. in dict. leg. 6. Recopilation. glossa 1. num. 6. & 7. teneat contrarium, scilicet valere promissionem seu pactum de non meliorando hoc casu factum, etiam stante dict. leg. 1. de Madrid: quod etiam tenet Angel. in leg. 6. glossa 3. num. 1. cum sequent. Quorum fundamentis latè respondent Gutierr. & Aceved. ubi supra.

est; nec potest tale pactum juramento validari, ut supra dixi: Sed per legem vel statutum non potest aliquid disponi, quod sit contra bonos mores: ergo ista lex Tauri non potuit inducere ut valeat pactum de succedendo. Pro qua sententia & conclusione primò facit, quia lex inferior non potest tollere legem superiorem: sed lex naturalis vel gentium tribuit unicuique liberam facultatem testandi, & per consequens improbat pactum de succedendo; ergo lex nostra civilis positiva Tauri non potuit illam superiorem tollere: argumento text. in leg. *Nam magistratus. ff. de Recept. qui arbitr. text. in leg. Ille à quo. §. Tempestivum. ff. Ad Trebellian. text. in leg. Apud filium familias. versic. 1. ff. de Manum. vindict. text. in leg. Minor autem magistratus. ff. de Minor. text. in leg. 1. §. Si quis in apellatione. ff. de Apellat. text. in leg. final. Cod. Si contra jus, vel util. public. & ibi Glossa ordinaria, & communis opinio. Confirmatur, quia lex debet esse honesta, justa, possibilis, & secundum naturam, & non contra bonos mores: text. est in cap. Erit autem lex. 4. distinct. text. in cap. Quæ contra. 8. distinct. Secundò in specie facit Glossa ordinaria communiter recepta in rubric. de Decretis Decurion. lib. 10. quæ dicit, quòd illud quod non potest fieri per pactum, ex eo quia est contra bonos mores, non potest fieri per legem vel statutum: quam glossam sic intelligit & declarat ibi Platea, & communiter DD. Bart. notabiliter in leg. *Omnes populi. ff. de Justit. & jur. 9. column. 3. quest. princip. versic. Pro quibus glossis concordandis. & ibi Rayner. 16. column. in med. & communiter DD. præcipuè Jas. 1. lectur. final. column. Alexand. in Addit. ad Bald. in leg. Cum Archimedoram. fin. c. pen. quest. Cod. Ut in possession. legator. Bald. in leg. 2. Cod. Quæ sit longa consuetud. 2. col. numer.**

mer. 6. Alexand. notabiliter in dict. leg. *Stipulatio hoc modo concepta, de Verbor. obligat. 3. column. num. 7. Alexand. in leg. Pactum quod dotali, 2. column. Cod. de Pactis, & ibi Jas. 1. column. num. 4. Georg. Natan, in dict. cap. Quamvis pactum, 16. column. num. 59. Confirmatur in sententia Paul. per text. in leg. Ex facto, ff. de Vulgar. & pupil. 2. column. num. 6. ubi dicit, quòd non valet statutum prohibens mulierem testari sine licentia viri, tamquam iniquum. Tertio facit, quia juramentum, quod est supra legem civilem, non confirmat pactum de succedendo, quia est contra bonos mores, ut in cap. Non est obligatorium, de Regul. jur. lib. 6. & est communis opinio; ut supra conclusum est: ergo lex nostra Tauri non potuit confirmare tale pactum & promissionem. Confirmatur etiam, quia etiam favore piæ causæ non valet pactum de succedendo, argumento textus in leg. *Pactum quod dotali, Cod. de Pactis*, quia si non valet tale pactum inter liberos, ergo nec favore piæ causæ: argumento textus & eorum quæ ibi notantur, in leg. *Si quis ad declinandam, Cod. de Episcop. & Cleric. & isto fundamento ita tenet Roman. in Authent. Similiter, Cod. Ad leg. Falcid. 5. column. num. 14.**

21 Sed sustinendo nostram legem, dico, quòd bene procedit, & est servanda in utraque sui parte. Nec obstant supradicta: quia primò notabiliter respondeo, quòd lex, vel statutum bene potest inducere quòd valeat pactum & promissio de succedendo: ita probat text. in cap. 1. de Filiis natis ex matrimonio ad Morganaticam contract. in lib. 2. Feudor. text. in cap. Filii nati. Si de feudo defuncti contentio sit inter dominum & agnatos vassalli, in lib. 1. Feudor. textus in cap. Mulier, eod. tit. ubi habetur, quòd si quis habebat filios ex uxore prima mortua, & postea contraxit matrimonium cum alia hoc pacto, ut filii ex secundo matrimonio non succedant cum primis; tale pactum valet, quia consuetudine est approbatum. Et per illa jura istam sententiam & conclusionem tenet Bald. in leg. *Cum Archimedoram, Cod. Ut in possess. legat. final. column. penult. quest. idem Bald. in leg. Pactum, Cod. de Collat. 1. column. 2. oposs. idem Bald. in leg. De quibus, ff. de Legib. 2. col. Joan. de Imol. in leg. Illæ autem institutiones, fin. col. ff. de Hæred. institut. Jas. & Modern. in dict. leg. *Pactum quod dotali, Cod. de Pactis*. Ex quibus videtur nostra lex confirmata & declarata. Ex quo deducitur & infertur, quòd licet de jure communi pactum, per quod tollitur liberum arbitrium & facultas testandi, non valeat, etiam in præjudicium dotis, ut in dict. leg. *Pactum quod dotali: & ibi tenet & ponderat solus Franc. Curt. 2. column. in fin.* tamen de jure nostro Regio facta Anton. Gomez. ad Leg. Tauri.*

vor dotis & matrimonii prævalet huic libero arbitrio & facultati testandi. Sed certè jura superiora nihil probant: Primò, quia ibi non agitur de succedendo; sed de non succedendo: unde meritò tale pactum consuetudine vel lege potest validari: & ita intelligit illa jura Bald. in dict. leg. *Pactum, Cod. de Collationib. 2. oposs. Alexand. in dict. leg. Stipulatio hoc modo concepta, 2. col. num. 7.* Sed ista solutio non videtur concludere, quia respectu filiorum primi matrimonii ibi agitur de succedendo. Unde aliter & secundò respondeo, quòd illa est consuetudo iniqua & irrationabilis, & ideo non servanda: ita tenet formaliter Andreas de Isernia, in dict. cap. 1. de Filiis natis ex matrimonio, &c. in finalibus verbis.

Secundò pro ista parte facit, quia licet pactum de succedendo dicatur esse contra bonos mores; tamen debet intelligi præsumptivè, & ex quadam suspitione, non verè: ita Bald. in dict. leg. *Cum Archimedoram*. Sed ista ratio nihil valet: quia procederet, si pactum improbaretur solum ex eo quòd inducit vorum captandæ mortis; sed non improbatum solum ex hoc, sed principaliter ex eo quia tollit libertatem testandi inductam de jure naturali, vel gentium.

Tertio pro ista parte facit text. singularis & unicus in suo casu, in leg. *Licet inter privatos, Cod. de Pactis*: ubi habetur, quòd inter milites valet pactum de succedendo: ergo lex potest disponere quòd valeat pactum de succedendo: & illum text. ad hoc notat & considerat Socin. in l. *Pactum quod dotali, Cod. de Pactis*, vers. 2. circa aliam, &c. Sed certè etiam ille textus nihil probat: Primò, quia ibi pactum fuit reciprocum inter eos; unde ratione mutui damni vel commodi sustinetur. Vel aliter & secundò, & melius respondeo, quòd ibi illud pactum etiam reciprocum non obligat milites ut necessario & præcisè teneantur adimplere promissa; sed tantum valet si perseveraverint usque ad mortem in eadem voluntate: secus verò si velint revocare, quia licitè possunt, quia aliàs esset contra bonos mores, ut dixi supra: Sed in nostra lege Tauri pactum & promissio de meliorando, & sic succedendo, est obligatoria & præcisè.

Vel aliter & secundò, sustentando nostram legem Tauri respondeo, quòd pactum de succedendo dicatur reprobatur à jure naturali & civili inter extraneos; secus verò inter filios: & ita procedat ista lex. Vel ista solutio non satisfacit, quia etiam inter filios reprobatur utroque jure, ut est casus apertus in dict. leg. *Pactum quod dotali, Cod. de Pactis*. Sed aliter & tertio respondeo, quòd nostra lex procedat, quia est facta cum causa particulari, quan-